

130 gelis, associavit cum omnibus sanctis, exercitus christianus condignis exsequiis sepulture tradidit. Qui filios suos, quos a capitalibus plagis excellenter custodivit, dignis conversationibus instruxit, summa industria enutrivit, velut genitor karissimus merentes reliquit, suis commanipularibus coniunctus, positus est ad patres suos. Hic tumultus terris, celestibus indiciis patuit et titulum sanctitatis meruit.
135 Depositio autem eius facta est pridie Nonas Ianuarii. Qui depositus in pace, requiescit in sinu Abrahe. *In pace, inquit, factus est locus eius et in Syon habitatio eius.*⁶²

140 Unde,⁶³ o fratres karissimi, fide ac devotione instantissima eius sollempnia⁶⁴ colentes atque beneficia poscentes mire virtutis esse credite, quod talis ac tantus in vita extiterat⁶⁵, qui post vitam non pauca eterne salutis indicia dederat divinisque operibus per signa et prodigia manifestaverat, qualis quantusve fuerat, donec viveret, qualiter titulus sanctitatis eius ediderat, quem presens narratio, utcumque potuerat, attestaverat. Nam sicut tunc, ita et nunc, sicut ipsi experti sumus, unde
145 etiam, si facultas adesset, specialius aliquid diceremus. Ita tunc cecis visum reddiderat, contractos restituerat, debilibus virtutem contulerat, demonia effugaverat, grassantes strages in populo Dei compescuerat, infirmos ac premortuos⁶⁶, acsi a morte resuscitaret, recuperaverat, ydropicis desperato sanitatis reditu restituerat, arrepticios liberaverat, in cassum adhibitis fomentis medicinalibus subvenerat
150 desperatis, prodigiosos reformaverat, febricitantes recreaverat, paraliticos curaverat, cunctaque sanitatis signa atque prodigia exercuerat ad laudem et gloriam liberatoris omnium et plasmatoris cunctorum, qui vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen.

⁶² Ps 75,3

⁶³ Inde D

⁶⁴ sollempnia T2

⁶⁵ extiterat in vita T2

⁶⁶ infirmis ac premortuis D